



EVTHYMIÆ

Liber Secundus.

FELIX, atque iterum felix, sua pendere norit
 Si Bona gēs Hominū! Nullo munimine quā-
 Tecta sub ætherei mittatur luminis oras; (vis
 Non tamen est, genitam naturę lege malignā
 Cur se propterea doleat: vulgoque Ferarum
 Cur habiles plumas, innataque vellera, cursum
 Aut capitis decus, & validos inuiderit vngues:
 Omnia dum, varius quæ rerum postulat usus,
 Instrumenta Boni, vitæque operosa tuendæ,
 Præsidia in solâ, meliùs Ratione recepit.
 Singula ne memorem, quæ nobis plurima longè,
 Commoda, tam pulchro cæli de pignore manant;
 Anne parum, nostris hilarem quod fingere vitam
 Hinc licet auspicijs, nec auaræ obnoxia forti,
 Ex se lætitiā sibi sufficit ipsa voluntas?
 Fac, genus hoc vsquam mercis venire, beatum
 Hoc aliquo nasci terrarum limite germen,
 Omnia mæstitiæ abstergens quod Nubila, puris
 Cordibus æternæ inseribat Thaumantida pacis;
 Vllane te medijs facies discriminis, vlla
 Terræe series longarum immensa viarum,
 Oppositaque Alpes, tumidisque agitata procellis
 Equora; quin dulcem ad metam per saxa, per vndas,
 Ipsaque Dædaleis per Nubila cursibus ires?
 Vllane Lydorum abnueres æraria regum
 Muneris in tanti pretium spondere, futurus
 Illicet hoc vno diues, nullius egenus,
 Terrenæque ferunt sortis quoad iura, beatus?

Et

Et tamen hæc nostro vernat sub pectore messis
 Aurea: tam lætam quovis Natura sub axe
 Proposuit mercem Mortalibus. Vnica nigro
 India sit felix hebeno: fragrantia soli
 Thura legant sylvis Arabes; non imputat vllis
 Se propriam, nullis facilem se denegat oris
 Pax, Mundi commune Bonum: eximijque referta
 Dotibus, haud (merces veluti gazæque minores)
 Proventu pretium raro, latebrisque tueri
 Indiget, haud famā se commendare remotā:
 Æmula quin potius Phœbæ lampadis, omnes
 In populos pleno sua gurgite donæ refundit,
 Festinatque capi, se seque morantibus offert.
 Desunt diuitiæ, Regnantium prætix, fulgor
 Nominis, illustres proavi, sublimia sceptrā:
 Quid tum? Non ideo deërit plenissima (mentem
 Dummodo quis rectā instituat ratione) voluptas.
 Ni, tibi concessam, Fortunæ, prodigus, vltro
 Vendideris; stabili propriam sub lege tenebis.

1. Quod quia Socratico meditatus Apollinæ, lætos
 Irrita quā veniant xui felices ad vsus:
 Omnia propitix, docui iam, munera sortis;
 Nunc quā vana cadant minitantis fulmina, quoque
 Illius infestam Sapiens vim robore frangat,
 (Da fontes, da, musa, novos haurire) docebo.
 Vt, veluti spes ambiguas, infidæque vota
 Depulimus, nil fortuitis occurrere docti
 Eximium in rebus; sic (quæ pars altera restat)
 Tristitiam imbellem, consternatosque timores
 Mente relegemus, nil ex tima vulnera gnari,
 Nil varias clades, humanorumque Malorum
 Compositis virtute animis tormenta nocere.
 3. Non tamen hic ideo (quantumlibet illa repositos
 Tacet arcani tripēdas sententia Veri) (a)
 Omnia quæ nobis extrinsecus aspera rerum
 Adueniunt, falsò contendam inimica putari:

Naturæ

(2) Vide Epill. cap. 8. Sen. ep. 24. & 78.

Naturæ ceu sponte suæ nil corpora lædant,
 Nil animos : neque sæuitiæ verique doloris
 Plus habeant, nostri vanus quàm pectoris error,
 Inque suas pœnas, mens ingeniosa, maligno
 Addit opinatū immeritis. Hæc splendida dictū
 Communis siquidem sensus ratioque refutat,
 Cecropijs grauior Veri cortina magistris.

4. Id potiùs, nulli quod sit dubitabile, ponam :
 Mentem hominis multum versandis rebus, & vram
 In biuij partem libeat, seu limite dextro,
 Siue sinistrorsum flectendis, iuris habere :
 Quatenus alterutrò spectantia plurima in illis
 Iam falsa effingit ; iam parua impensius auget ;
 Oppositis iam mista (Mali nil quando, Boniue
 Syncerum penitùs Mundi concordia discors
 Rebus in humanis patitur) quocunque remoto
 Alterius sortis discrimine, pura seorsum
 Concipit : hinc adeo vim, mensuramque doloris,
 Fortuiti quo corda solent percellere casus,
 Non tam luctificà venientium ex indole rerum,
 Quàm varijs animi ducendam e sensibus, eque
 Iudicijs, medias quæis res perpendimus ipsi.

5. Quæ nisi vera forent ; eadem cur fata sereno
 Altera pars hominum, turbato att altera vultu
 Exciperent ? Audin, quàm tristibus omnia circum
 Compita, perque domos iactetur nuda querelis
 Pauperies : ceu sortis onus, quo maximus æther
 Non grauior Mauri senis in ceruice recumbat :
 Quoque superpositam semiuistaq; membra prementem
 Enceladus nunquam, sapiens, mutauerit Ætnam ?
 Et tamen hanc Phocion adeo cõplexus amicè est, (a)
 Dyrceusque Crates etiam quæsiuit ; vt alter (b)
 Quanto vis Macedùm mutare negauerit ; alter
 Toto etiam patrio redimi bene duxerit auro.
 Si perçant merces ; nullum se luget Anarus,

Iam:

(a) Plus, in vita Phoc.

(b) Lect. in vita Crate.